Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1589
Quelle:
Copyright:

responsum tuum &c. Querelae, quod *Capistranus* Laicis subtrahere velit calicem, Evangelio et Concordatis repugnantibus. Atque haec videtur inedita. III. *Capistrani* Responsum ad praecedentem datum eod. Loco et Die, uti I. Incipit: *Scribis te optare — meam proximorumque salutem* &c. Mollius occurrit acriori *Rokyczanae*, ejusque argumenta pro usu Calicis refellit. Hanc quoque Epistolam inter editas non reperio. IV. *Rokyczanae* ad *Capistranum* data *Sabato Prage ante exaltacionem sancte crucis Anno &c. LI°.* Initium: *Fama discurrente frequenter audiuimus* &c. Incipit ab his Literis totum Commercium nostrorum duorum Pugilum et quasi classicum canitur. Recitat eas *Amand. Hermann* in *Capistrano triumph.* p. 345. praemittit tamen alias absque nota temporis, quae fortassis anteriores videri possint. V. *Capistrani* ad has Literas Responsum, quod exhibuimus *Cod.* CLXXXII. initio: *Tuas honestas, quales alii* &c. quo, si lubet, te refer, adhibito simul *Cod.* DCCCCLXVIII. cujus ope, simulque *Cochlaei*, *Waddingi* et *Hermanni citt.* totius hujus Commercii Epistolici seriem chronologicam non aegre quis instruat.

X. *fol.* 181. p. 2. *Responsio domini nostri sanctissimi domini pij ad oratores bohemorum.* Incipit: *Superioribus diebus cum audiuissemus* &c. et *Cod.* DCCCII. relata est, quem confer.

XI. *fol.* 186. M. *Hieronymi Physici Erfordiensis* horrendum Vaticinium e conjunctione omnium planetarum cum Sole in cauda Draconis mense Septembri a. 1472. cum prece, ut significentur haec omnibus; ejusdem enim sententiae esse *physicos Arabie*, *Erfordie*, *Hyspanie*; reliqui absecti sunt.

XII. *fol.* 187. *Accepta ex libro veni mecum in tribulacione. Quem compilauit frater Johannes de rubessissa.* Lege *Rupe scissa* sive *Roquetaillade.* Fuit is O. M. Provinciae *Aquitaniae* circa medium Sec. XIV. ob vaticinia voce scriptisque dicta a *Clemente* VI. et *Innocentio* VI. datus in custodiam, de quo multa suggerunt *Baelius* in *Lex.* et *Fabricius Bibl. med. Lat.* L. IX. Libellus, e quo nostra Excerpta, editus est ab *Edw. Brown* in Append. seu T. II. ad *Fascic. Rer. expetend. et fugiend.* qui vulgo *Ortw. Gratio.* tribuitur, *Lond.* 1690. f. Excerpta XXI. *Intellectionibus* constant.

XIII. *fol.* 189. p. 2. Epistola illa *Luciferi* ad Clerum saepius relata, quae incipit: *Lucifer princeps tenebrarum tristicia* (tristia) *profundi regens acherontis imperia* &c.

XIV. *fol.* 191. Epistola data ad Episcopum *Ratisbonensem* ex ipsa hac urbe XI *Junij Anno Domini 1466.* itaque ad *Henricum de Absperg* de nova quadam Secta, hujus tenoris: *Delati sunt nobis duo fratres de Wyenswerig*